



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Adulationes periculosas esse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

C A P V T XXXV.

Atteribilis DEI iudicio plus prodesse reprehensiones; quam laudes adulationesq; humanas.

**S**I ad libellam veritatis rem examines, præstat sæpe carpi, quàm laudari. Qui carpit, corrigit. Qui laudat, superbum facit. Hinc dictum est à sapiente: *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Eò tendit Æsopica fabula famelicæ vulpis ad arborem, cui gallus sublimis & diem cantu salutans infederat, accedentis. Ibi enim exquisitis laudibus gallum extulit. Non cristas tacuit verticis; non præteriiuit radios caudæ, in falcis modum reflexæ; non omisit penarum irides & splendorem; sed & sonoram in eo vocem magnificè prædicauit. Ante omnia autem in illo commendauit artem diuinandi, lucisq; prædicendæ vaticinia. Quibus encomijs, cum iam tumere cerneret gallum, atque cristas quàm altissimè erigere, hunc demum fraudis epilogum adiecit: *Vinam ea felicitas sit mea, tam eximij vatis caput, vt exosculari mihi concedatur!* Gallus, qui laudis titillatione inflatus ipse quoque iam se se osculo dignum arbitrabatur; & hanc insuper laudatrici suæ gratiam referendam censebat, vt caput suum illi ad satietatem basandum præberet, improvidè ab arbore ad vulpem deuolans captus, in siluam deportatus, serò sensit, qualia oscula vulpes destinasset, & affatim derisus est; quòd astuta bestia vate isto diuinoq; nihil insipientius neq; vecordius vquam se vidisse diceret. Fabulæ huius epimythium est, assentatores insidiosos esse & noxios. Qua de causa etiam Regius ille vates ait: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem pescatoris non impinguet caput meum.* Corruptio iusti misericordia est; adulatio peccatoris crudelitas. Vtiliter Dauidi adulterium Propheta, ciuibus suis diffidentiam Iudith, malitiã Pharisæis Christus, & Ioan. Baptista; duram certicem Iudæis, Stephanus; Elymæ mago Paulus dolum & fallaciã obiecerunt. Seduxissent eos, qui laudibus, velut oleo, vnxisse.

Quod etiam Ethnici senserunt, adulationibus à se præcul repulsis. Tarracoenensibus, pro lato ostento, nuntiantibus Augusto, quòd in eius ara palma esset enata: *Apparet, inquit, quàm*

Ecc frequen-

I.

Prou. 27. 6.

Fab. 386.

Psal. 140. 54.

II.

Roterot. li 41.

Apopht.